



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Svmma Practica Theologiae Mysticae**

**Gelen, Victor**

**Coloniae Agrippinae, 1652**

Articulus Primus. Propria operatio quamdiu in infimo transformationis  
descendentis versatur, est silentis mystici quieta fruitio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9766**

- V. *Obumbratione fruitionis silentiosè in abyſſo interioritatis paulatim diſparente, ſpiritus admiratio ſubſequitur.*
- VI. *De ſpirituſali profectu, duratione & tranſitu ad ſtatum Transformationis modi aſcendentis.*

## ARTICVLVS PRIMVS.

*Propria operatio quamdiu in infimo Transformationis aſcendentis verſatur, eſt ſilentij myſtici quieta fruitio.*

**P**erambulauimus terram, & ecce omnis terra habitatur, a & quieſcit. ac ſi diceret, ô pia anima, quam admirabilis, & grata nimis eſt illa hominum concordia; totus enim mundus diligenter à nobis viſitatus, altum ſilentium tenet, non quidem ex eo quod pauci homines in illo ſint, fortè bello, fame, & peſte ſublatis; ſed quod terra habitetur, & hominibus plena ſit. atque vnanimi conſenſu omnes quieſcunt, nemo clamat, diſcordias excitat nemo; ſed pace vniuerſali delectantur ſinguli. verùm quam longè felicior eſt illa animæ quies, in qua omnis terra inordinata affectione olim turbata, nunc autem pacatiſſima ſubiectione ſilet, ac inferiores vires ſuperioribus ſubiiciuntur integrè, rationiſque imperio; ſicut etiam inſtinctui Spiritus Sancti promptè, & hilariter obediunt: & hoc quidem non aliundè, quam ex abundanti amicitia Dei, omnes totius compositi humani potentias bene-afficiente, vîq; ad ipſum corpus, quod ſuo, ſibiſque proportionato modo, reficitur, gaudet, & oſſibus ſuis omnibus dicit, Do-

mine quis ſimilis tibi? ſicut ergò in ſupremo ſpiritus diuini pia anima fertur circa Deum vt excelſum, & ſuperexaltatum; in medio autem, vt circa magnum; ſic iam in hac infima regione, circa Eum verſatur vt paruum, & collecta, ac ſilenti ratione circumuolutiones myſticas operatur, perficitque, tam diu, quouſque ad abyſſorum infinitatem descendendo, diuinæque ſapientiæ latibula profundè ſcrutando; tandem à ſummo Transformationis modi aſcendentis, per medium ad infimum vſque pertranſeat. pro vt articulatè hic conſequenter explicabimus.

*Obumbratio diuinæ fruitionis in homine inferiori viuaciſſima quiete poſſidetur.*

## ARTICVLVS SECVNDVS.

**P**ater Sancte, ego pro eis rogo, vt habeant gaudium meum b impletum in ſemetiſiſ. ac ſi diceret, ô pia anima, tanta eſt diuini amoris in ſe diligentem communicatio, vt ei non ſatisfiat, ſi per promiſſionem vitæ æternæ conſoletur, aut per eam, quæ vera eſt fides, aut quæ eſt obiecti, & tendentiæ in bonum à ſe diſtinctum, aut quod modo adſit, modo abſit; ſed vt in ſemetiſiſ gaudium diuinum habeant imple-

a Zach. 1. b Ioan 17,